

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Exegetico-Critica Exhibens Vindicias  
Integritatis S. Scripturae Qvo Ad Locvm Vexatissimvm 2.  
Chron. XXII, 1.2 De Annis Ahasiae**

Consentiente Venerando Theologorum Ordine - A. D. Jvnii A. R. S. MDCCL  
... Pvblice Tvebitvr

**Lilienthal, Theodor Christoph Lilienthal, Theodor Christoph**

**Regiomonti, MDCCL**

**VD18 90565037**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15087**

*O. D. B. V. Theol II 120*  
DISSERTATIO EXEGETICO-CRITICA  
EXHIBENS  
VINDICIAS INTEGRITATIS  
S. SCRIPTURAE  
QVOAD LOCVM VEXATISSIMVM  
*2 Chron. XXII. 1. 2.*  
DE ANNIS ACHASIAE.

---

CVIVS PARTEM PRIOREM  
CONSENTIENTE VENERANDO THEOLOGORVM  
ORDINE

*A. D. JVNII A. R. S. MDCCCL. H. L. Q. C.*  
PVBLICE TVEBITVR

PRAESES

THEOD. CHRISTOPH. LILIENTHAL

S. THEOL. D. ET PROF. EXTR. COETVS NEO-ROSGARTENSIS PASTOR  
ET BIBLIOTHECAE SENATVS REGIOM. PRAEF. PR.

RESPONDENTE

IOHANNE GOTTLOB RVTZEN,

BEROLINENSI, S. TH. CVLT.

OPPONENTIBVS

IOHANNE CHRISTOPH. MEYER, REG. BOR. S. TH. CVLT.

ET

IOH. CHRISTOPH. GERICKE, RIG. LIV. PH. ET S. TH. CVLT.


---

REGIOMONTI,

STANNO REGIAE AVLICAE ET ACADEMICAE TYPOGRAPHIAE.







**Farbkarte #13**

**B.I.G.**

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black







§. I.



ondum religionis Christianae hostes diuinam S. Scripturae auctoritatem, in quo illa fundamento nititur, profanis ausibus vellicare desierunt. Manifestam inprimis Codicis sacri yrgerere solent corruptionem: quippe qui infinitis scateret mendis, nec solum data opera a Iudaeis pariter ac Christianis interpolatus esset, sed temporum etiam iniuria, et ob negligentiam librariorum, tantam subierit deprauationem, vt libri diuinitus inspirati nomen iam non amplius mereatur. Quas hunc in finem IOH. MORINVS, LVD. CAPELLVS, ISAACVS VOSSIUS, RICH. SIMONIVS, IOH. CLERICVS, MARCVS MEIBOMIVS, WILH. WHISTONVS aliique audaciores Critici (\*) excogitarunt argutias; auide arripiunt, nouo illinent fuce, nihilque intentatum relinquunt, quod vlllo modo libros Biblicos, Veteris praesertim Testamenti suspectos reddere possit lectoribus improvidis (\*\*).

(\*) Conf. Cel. IOH. GOTTLÖB CARPZOVII *Critica sacra Vet. Test. Part. 1. Cap. 3. p. 106. sq.* Ad eandem Pseudocriticorum classem referendus est FRANC. HARE Episcopus Cicestrensis in *Psalmorum libro in versiculos metricè diuiso* Lond. 736. et qui eius castra sequitur Rich Grey, in libro: *a new and easy Method of Learning Hebrew.* Lond. 732.

(\*\*) BEN. DE SPINOZA in *Tract. Theol. Polit. Cap. 9. pag. 168. Cap. 15. pag. 121. 122.* ISAAC PEYRERIUS in *System. Praeadam. Part. 1. Lib. 4. Cap. 1. p. 152. sq. 172. sq. Cap. 2. p. 159. sq.* FRIDR. WILH. STOSSIVS in *concordia rationis et fidei* p. 98. sq. DE LA HONTAN *Suite du Voyage de l'Amerique* p. 7. ANT. COLLINS

A

Discour.



*Discourse of Freethinking* p. 87. sq. MATTH. TINDALL *Christentum so alt als die Welt*. Cap. 6. p. 106. 109. Cap. 12. p. 314. Cap. 13. p. 460. 498. 563. sqq. THOMAS MORGAN *Moral Philosopher* T. I. p. 440. 442. 447. Tom. II. *Letter to Eusebius* p. 17. T. III. p. 131. DE LA SERRE *Religions-Prüfung* p. 72. 75. 80. et novissime IOH. CHRISTIAN EDELMANN *im Mose mit aufgedecktem Angesichte* Part. I. p. 19. 20. 47. sq. 56. 72. 74. 80. 84. 85. 125. nec non *in der Begierde nach der vernünftigen lauterer Milch* p. 7. 42. 64. 78, et *in dem Glaubens-Bekänntnis* p. 43. 47. 54. 60. 65. 67. 164. 205.

## §. II.

Immota tamen contra tot aduersariorum insultus verbi diuini in aeternum duraturi ( 1 Petr. I. 25. ) perennat integritas, solidissimisque euincitur argumentis. Iudaeos quibus concredita erant eloquia Dei, ( Rom. III. 2. ), Codicem sacrum deprauare nec potuisse, nec voluisse; tam certum est, quam quod certissimum. Prophetæ strenui puræ religionis vindices, talem nunquam permisissent corruptionem: quæ nec post illos, tum ob mutuum Iudæorum et Samaritanorum in se inuicem odium, tum ob subortas in gente Iudaica diuersas sectas, fieri facile potuit, nec vnquam facta est. Christus enim eiusque Apostoli hoc Iudæis crimen nunquam exprobrarunt; potius sine vlla iniecta deprauationis mentione, auditores suos ad librorum V. T. lectionem remittunt. Matth. XXIII. 2. 3. Luc. X. 26. XVI. 29. Ioh. V. 39. Act. XV. 21. Deinde vero, ob suam per vniuersum terrarum orbem dispersionem, multo minus quicquam ex communi consensu mutare valuerunt Iudæi in libris Biblicis; qui præterea in Christianorum iam manibus erant, cum quoad textum Hebraicum, tum quoad varias eiusdem versiones, vnde facillime Iudæorum fraus detecta fuisset, si quem committere voluissent. Hoc tamen admodum improbabile est. Si enim loca quaedam S. Scripturæ data opera corrumpere in animum induxissent; illa certe interpolassent dicta, ex quibus Christiani contra illos recte probant, Iesum verum esse Messiam; nec illis pepercissent testimoniis, quæ de execrandis maiorum suorum peccatis foedissimaque idololatria agunt. Quum vero in istis nihil immutauerint locis; nulla dari potest ratio, cur alibi Codicem sacrum mutilare voluerint: quem potius sanctissime conseruare studuerunt, adeo vt Masorethæ hunc in finem omnes versiculos, voces et litteras eius numerauerint, reliqui vero nunquam non in describendis

bendis





bendis et emaculatissime edendis Bibliorum Hebraicorum exemplaribus, admodum fuerint solliciti. Eadem vero Iudaeorum circa S. Codicem religio, maximo semper Haereticis fuit obstaculo, quo minus vniuersalem eius corruptionem efficere potuerint, si vel maxime eam tentassent. Librarii, vt *Θεώπνευστοι* non erant, ita in describendis S. Scripturae libris, errores nonnullos admittere potuerunt, in vno vel altero codice, nequaquam vero in omnibus: quum mendae vnius codicis ex reliquis codicibus corrigi facile potuerint. Vt taceam, post confectam Masoram, ne minimam quidem textus Hebraici corruptionem possibilem fuisse. Accedit diuina prouidentia, quae prohibere debuit, ne in rebus alicuius momenti, quam hominibus ceu normam fidei et vitae dedit, reuelatio, quicquam labis admitteret. Tale enim quid si permisisset summum Numen, corruptionem verbi sui vel impedire non potuisset, vel noluisset. Illud cum omnipotentia atque sapientia diuina; hoc vero cum eius bonitate conciliari neutiquam posset. Nec praetermittendus est locus Matth. V. 18. *ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ ἔρανος καὶ ἡ γῆ, ἵσῳτα ἐν ἡ μίᾳ κερῶνα ἢ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται.* Quamuis enim proxime de praeceptorum et promissionum legis impletione agat: exigua tamen vel nulla probationi, qua vtitur Saluator, inesset vis, nisi salua esset codicis facri has promissiones et praecepta in se continentis, integritas. Quae hic in compendio allegauimus pro S. Scripturae V. T. integritate argumenta, fusius edisserunt Viri doctissimi, discussis simul aduersariorum exceptionibus (\*).

(\*) Praecipui Auctores hic conferendi sunt SAL. GLASSIUS in *Philologia S. Lib. 2. Tract. 1. et 2.* IOH. BUXTORFIUS in *Anticritica aduersus Lud. Capellum.* HERM. IAC. VAN BASHUYSEN *Observo. Sacr. Libr. I. de integritate S. Scripturae.* IAC. TRIGLANDIUS in *Sylloge Dissert. Theol. et Philol. p. 293.* CHR. SIGM. GEORGI in *Diss. de corruptione Codicis S. impossibili Wittb. 742.* IOH. DEUTSCHMANNUS in *Diss. de mendis Scripturae S. V. et N. T. Wittb. 675.* IOH. MEYERUS *Diss. II. adiecta Chronico Hebraeorum p. 148.* IOH. GOTTL. CÄRPZOVIVS in *Critica S. V. T. Part. I. Cap. 3. p. 96. sq.* et imprimis Cel. FRIDR. WAGNERUS in *der Wahrheit und Göttlichkeit der H. Schrift und Christlichen Religion wieder Joh. Christ. Edelmann Part. I. p. 5. 128. 176. sq.* maxime vero *Part. III. per tot. Cet.*





## §. III.

Solent vero, qui corruptionis maculam S. Codici inurere fatagunt, ad plurima eius prouocare loca sibi inuicem repugnantia; licet post accuratum examen, facilem admittant conciliationem, quae omnem tollit ἐναντιοφάνεια. Vnicus tamen exstat locus, cuius difficultas tanta plurimis videtur, vt tantum non victas aduersariis darent manus. Quemadmodum enim sunt, qui in rebus leuioribus aliqualem textus sacri facile largiantur deprauationem, modo in locis fidem eiusque fundamentum concernentibus, S. Scripturae integritas sacra tecta maneat (\*); ita talem errorem necessario statuendum esse autumant in verbis 2 Chron. XXII. 1. 2. וימליכו יושבי ירושלם את אחזיהו בנו הקטן תחתיו כי כל-הראשנים הרג הגדוד הכא בערכים למחנה וימלך אחזיהו בן-יהורם מלך יהודה: בן-ארבעים ושתים שנה אחזיהו במלכו ושנה אחת מלך בירושלם ושם אמו עתליהו בת עמרי: Nimirum XLII. annos hic natus dicitur Achazias quum regnare inciperet, cui tamen 2 Reg. VIII. 26. tantum XXII. anni tribuuntur, quum regnum adiret; et recte quidem, quum secundum priorem annorum numerum, filius Jorami natu minimus biennio senior dicendus esset ipso parente; qui anno aetatis XXXII. regnare coepit, VIII. annis regni habenas tenuit, adeoque anno aetatis XL. diem obiit 2 Chron. XXI. 20. Valde perplexam hanc iam olim HIERONYMVS vocauit quaestionem: et hodie ad textus Hebraici corruptionem confugiunt non solum ii, quibus eiusmodi criminationes admodum familiares sunt (\*\*); sed alii quoque, qui maiori erga Codicem sacrum tenentur reuerentia (\*\*\*)

(\*) BRIAN. WALTONUS in *Bibl. Apparatu Proleg.* VII. §. 12. IOH. HENR. HOTTINGERVS *Thef. Philog. Lib. I. Cap. 2. Quaest. 4. Resp. 2. p. 123. imo ipse b. LUTHERUS in glossa marg. ad 2. Sam. XXIII. 8. et IOH. BRENTIUS in Psalm. XXXVII. 29.*

(\*\*) LUD. CAPELLUS in *Critic. S. Lib. I. Cap. 10. p. 38. Lib. VI. C. 7. p. 412. sq.* ISAAC VOSSIUS in *Chronologia Sacra p. 172* HUGO GROTIUS et IOH. CLERICUS ad h. l. CAROL. LE CENE in libro: *Essay for a new Translation of the Bible P. II. p. 134.*

(\*\*\*) LUCAS OSIANDER in *Paraph. Bibl. ad b. l.* DIONYSIUS PETAVIUS in *rationario temporum Part. II Lib. 2. Cap. 11. p. 128.* CAMP. VITRINGA in *hypotyposi Hist. et Chronol. S. Perid. V. §. 37. p. 67.* IOH. MARCIUS in *Sylloge Dissert. in V. T. Exerc. XVIII. p. 638. sq.* ALPHONSUS DES VIGNOLES *Chronologie de l'Histoire sainte Lib. 2. §. 20. p. 327. imo quod mirum, strenuus alias integritatis S. Scripturae vindex*





SALOM. GLASSIUS in *Philol. S. Lib. I. Tract. I. p. 82.* Nos non immerito, scribit, inexplicabilem hanc esse quaestionem cum Hieronymo arbitramur. Sique locus iste mendo forsan obnoxius esset, et nulla conciliationis debitae dari posset ratio commoda, ad illud confugimus ultimo, quod supra ad locum Num. III. 39. resp. 2. fuit monitum, ac repetimus adductam ibi similitudinem leuiter inflexam: ut in vinam aquarum scaturiginem incidens lapillus, ipsam propterea contaminatam non reddit: ita multo minus dictionis vnius in textu Hebraeo immutatio, (cuius exacta satis ratio dari nequit,) fontem diuinum coinquinatum et impurum constituet.

## §. IV.

Nec omni carent specie, quae pro hac sententia adducuntur argumenta. Tantum enim abesse aiunt eius defensores, ut debitae erga S. Scripturam venerationi quicquam detraheret; ut potius hac ratione facilius tueri queamus Verbi diuini auctoritatem, quam per contortam nimis conciliationem, quae Antiscripturariis modo ansam daret, de argumentorum nostrorum debilitate conquerendi. Nec ideo S. Codicis integritatem corruere, si vel maxime in vno vel altero loco, idque in accessoriis, nominibus, numeris et id genus aliis, aliqualem passus fuisset corruptionem, quae tamen ope regularum Criticarum et parallelismi corrigi feliciter possit: multo minus Criticis integrum esse, vbiuis pro lubitu tales praeter necessitatem fingendi deprauationes. In nostro autem loco, ob inexplicabiles difficultates corruptionem eo probabiliorem videri, quo facilius esset litterarum ככ in כמ permutatio. Quum enim littera כ quae XX. denotat, admodum similis sit litterae מ quae numeri XL. nota est; incuria librarii factum esse, ut hanc pro illa scripserit. Tandem in subsidium allegant auctoritatem versionis Syriacae, qua ecclesia Antiochena vsa est, et Arabicae cum Antiochenae tum Alexandrinae. Vtramque enim in nostro loco Achasiae tantummodo annos XXII. tribuere, consentientibus quibusdam Versionis Septuagintaviralis codicibus (\*).

(\*) Conf. MATTH. POLUS in *Synops. Critic. T. I. ad h. l.*

## §. V.

Verum enimvero grauissimae obstant rationes, quo minus nostrum locum vniuersalem subiisse deprauationem concedamus. Nam

A 3

1) li-





1) licet subinde in textu Hebraeo occurrant litterae et vocēs, vel irregulariter scriptae ac punctatae, vel plane deficientes aut abundantes: vera tamen lectio tunc ex contextu facile restitui potest. Sed alia res est, vbi concessa litterarum vel verborum immutatione, totius propositionis immutatur sensus. Tunc certe fides Scriptorum sacrorum vacillaret, si vel in minimis circumstantiis, quicquam falsi relationibus suis immiscuissent. Imo eadem prouidentia diuina, quae in rebus grauioribus integritatem S. Scripturae puram seruare et potuit, et voluit; minoris etiam momenti corruptelas vniuersales sensumque turbantes praecauere debuit. 2) Multo minus ob aliqualem dicti difficultatem deprauatio textus statuenda, qui in omnibus quotquot exstant codicibus eodem plane modo legitur. Concipi enim plane nequit, qua ratione ex vno codice mendoso idem error in omnes reliquos irrepere potuerit, qui diuerso tempore in locis tam dissitis exarati sunt, et in aliis dictis variantes exhibent lectiones. Quum igitur in nostro loco nullam annotauerint variantem lectionem Masorethae, qui tamen in hoc negotio stupendam praestantur accurationem: merito vnica illa et constans, quam in textu sacro deprehendimus lectio, tanquam genuina retinenda est. Alter enim locus 2 Reg. VIII. 26. pro variante lectione habendus non est, quum alio respectu Achasiae thronum conscendenti XXII. annorum aetatem attribuat, quam noster, qui XLII. annos natum illum fuisse adfirmat. Si vel maxime nesciremus rationem, cur Spiritus S. annos Achasiae diuersimode exprimere voluisset: nullum tamen ideo ius haberemus, alterutrum locum corruptionis arguendi. Quis enim audacem hanc praesumptionem, debitam S. Scripturae reuerentiam vocaret? Non opus est in tali casu, vbi solida vix inueniri potest dubiorum solutio, contortis explicationibus; sed ignorantia potius nostra ingenuè confitenda est. 3) Tandem, si semel conceditur, in minimis vniuersalem S. Codicis corruptionem possibilem fuisse; idem et in aliis dictis fieri potuisse dicent Antiscripturarii: maxime quum multa exigui saepe momenti videantur, quae tamen maximum habent influxum in primum S. Scripturae scopum. Nec istam curabunt limitationem, vltimum hoc tantummodo esse remedium, vbi nulla amplius datur commoda dictorum conciliatio. Quid enim tantis opus est ambagibus, si admissa possibili textus sacri mutilatione, ad omnia dubia responsio in promptu est?



est? Quam iniuria autem haec in certitudinem Hermeneuticam sit sententia, nemo non videt.

## §. VI.

Proclivis quidem primo obtuitu videtur literae  $\Delta$  in  $\Delta$  permutatio, quum addita vna accidere potuerit lineola; si modo vlllo probari posset idoneo argumento, Hebraeos olim numeros per alphabeti litteras scripsisse. Refragantur vero omnes quotquot exstant codices vetustissimi (\*): qui ad primam quidem non assurgunt antiquitatem; summam tamen Iudaeorum industriam circa textum sacrum aperte loquuntur, dum in exprimendo eodem vbique sensu mirum in modum conspirent. Nec tacuissent Masorethae, si maioris securitatis ergo a pristino vsu numeros per litteras designandi recessissent. Vnde in propatulo est, hoc scribendi compendium longe recentius esse. Et si etiamnum in actis publicis, chirographis, contractibus aliisque id genus scriptis, fraudis vitandae causa, numeri integris vocibus exprimuntur: nonne idem obseruasse censendi sunt Scriptores sacri, quorum libri ad seram posteritatem erant propagandi? Caeterum versionum quorundam auctoritas, contra vnanimem omnium textus Hebraici codicum consensum nihil valet: tum quia salua vniuersali quam defendimus textus Hebraei integritate, vnum vel alterum exemplar, ad quod forsan efformata est versio, mendis laborare potuit; tum ob multo faciliorem versionum quam textus authenticici deprauationem, quae in Septuagintavirali translatione luce meridiana clarior est. Syriacae speciatim et Arabicae versionis tanta non est auctoritas, vt maior eidem fides habenda sit, quam Hebraeo quem nunc habemus textui. Illa licet ex ipsis fontibus hausta sit, in multis tamen locis propius accedit ad Versionem  $\gamma^{\text{av}}$  LXX. haec vero maximam partem ex Syriaca, vel ex ipsa V. T. graeca Versione desumpta est (\*\*). Quum igitur pauciores saltem Versionis Septuagintaviralis codices in nostro loco XXII. annos Achasiae numerent, vnde idem probabiliter numerus in versionem Syriacam et Arabicam irrepsit: num hoc argumentum sufficiat ad probandam Codicis S. in praesenti loco corruptionem, aequi rerum iudicent aestimatores.





(\*) Ingenue hoc fatetur ipse RICH. SIMONIUS *Histoire Critique du vieux Testament Lib. I. Cap. 23. p. 130. a. Je sçai inquit, que quelquesunes prétendent, que les Copistes ont mis une lettre pour une autre, et que de là est venue la difference des nombres; parce que les Hebreux aussi-bien que les Grecs, n'ont pas eu d'autres chiffres que leurs lettres: mais les Juifs écrivoient dans le Texte de la Bible les nombres selon toute l'étendue des mots, et non pas par chiffres ou par lettres, et il y a de l'apparence, qu'ils n'ont point varié en cela. Consentit HUG. GROTIUS ad Marc. XV. 25.*

(\*\*) Conf. Cel. IOH. GOTTL. CARPZOVII *Critic. Sacr. Part. II. Cap. 5. p. 625. 645.*

### §. VII.

Nec adeo inextricabilis est nodus de annis Achasiae, ut veluti Gordius secari debeat, per concessam aliqualem textus sacri corruptionem. Dudum Eruditi commodam instituere tentarunt conciliationem locorum 2. Reg. VIII. 26. et 2. Chron. XXII. 2. apparenter inter se pugnantium (\*). Fateor non pari successu hoc praestitum esse ab omnibus, explicationesque tantum non omnes suis adhuc laborare difficultatibus haud exiguis. Quum tamen excogitata tandem sit noua nodi huius solutio, quae omnibus fere dubiis ex asse satisfacit: eam praesenti dissertatione ulterius stabilire, et ea quae eidem adhuc obstare videbantur remouere, in animum induxi; lustratis in antecessum caeteris hypothesebus, non quidem omnibus, sed illis modo, quae quadam se commendant probabilitate.

(\*) Ut alios taceam, qui vel in Commentariis suis, vel data occasione hanc difficultatem tetigerunt, quos in diuersarum sententiarum recensione nominabo: ex professio locum hunc vexatissimum illustrarunt IOH. MEYERUS in *Annot. ad Seder Olam p. 919.* IOH. ZYTHOPAEUS in *Nodo Gordio Script. S. enodato Lubec 688.* IO. IOACH. SCHROEDER in *Diss. de annis Achasiae Iudaeorum Regis Lips. 715.* HENR. GOTTL. REIME in *Diss. Achasiae aetate non maior patre Foramo. Jen. 714.* IOH. MARCKIUS in *Sylloge Dissert. in V. T. p. 621.* SINCERUS PISTOPHILUS in *der Erläuterung schwerer Schriftstellen. T. II. p. 611.* ADAM GOTTL. KERZIG in *den neuen Exegetischen Versuchen p. 131.* Sed quum omnes hi dubiis nondum satisfecerint; nostra forsitan opella superflua non videbitur.

### §. VIII.

Eorum primo loco considerata venit sententia, qui annos XLII. quorum in nostro loco mentio fit ipsi Achasiae tribuere nolunt. Quum enim

·AI (\*)

enim





enim anno Aetatis XXII. regale solium conscendisse dicatur 2. Reg. VIII. 26. hic vero de eodem regni initio sermo sit, necessario inde sequi putant, annos XLII. ad aliam quandam personam referendos esse. Et Athaliae quidem matris Achasiae annos computari, verosimile iudicant IAC. VSSERIVS (\*) et GODOFR. KOHLREIFFIVS (\*\*) ex quorum hypothesei textus sequentem in modum vertendus esset: *Ita regnavit Achasia filius Iorami Rex Iudae; et nomen matris eius Athalia filia Amri, quae annum agebat XLII. cum regnaret Achasia, regnavit vero annum unicum Hierosolymis.* Nec mirum esse aiunt, Athaliae potius annos numerari, quam Achasiae; quum hic nomine tantum Rex fuerit, rerum summam administrante matre, quae etiam post eius mortem sibi soli regnum vindicavit. Et hanc simul esse rationem, ob quam in subsequentibus annus aetatis Athaliae, quo regnare coepit, silentio praeteritur: nimirum quia iam in nostro loco illum indicauerit S. Scriptura. Durissima vero est verborum textus sacri traiectione, quam haec sententia supponit, nec tolerari potest, quum simile exemplum nusquam inueniatur. Hoc si liceret, quis tandem sacri Codicis textus tam certum haberet sensum, cui non alius affingi posset? Probari praeterea nequit, Athalam viuentem adhuc filio regni habenas tenuisse; potius si ea iam tum temporis polluisset auctoritate mulier tanta regnandi cupiditate flagrans, vt proprios nepotes et omne semen regnum ad interuersionem prosequuta fuerit; multo minus filio pepercisset, qui non solo Regis titulo vsus est, sed reipsa *regnavit Hierosolymis.* Nec obstat silentium S. Scripturae de aetate, qua Athalia regnum occupavit. Nam licet saepissime annum aetatis, quo principes regnum adire annotare solet; non tamen desunt exempla in contrarium. Si enim historia sacra annos quo Salomon, Abiam et Assa regimini admoti sunt, tacet; nec opus erat annos Athaliae iniuste regnum ad se rapientis commemorare, et quidem loco prorsus alieno: nimirum ubi initium regni Achasiae describit Textus sacer, quem **בן ארכעים שנה וישימים** *filium XLII. annorum* fuisse pronunciat, manifesto indicio, annos XLII. ad Athalam referendos non esse, quia tunc non **בן** sed **בת** *filia* tot annorum per Hebraismum dici debuisset.

(\*) In Chronologia sacra p. 10. sq.

(\*\*) In Chronologia Sacra Cap. XIV. p. 346.





## §. IX.

Alia proinde ratione se expedire conantur, qui annos XLII. iterum non Achasiae, sed eius parenti Ioramio attribuunt, adeoque locum ita reddunt: *Et regnavit Achasia filius Iorami Regis Iudae nati XLII. annos cum regnare inciperet Achasia.* Nimirum, si Ioramus XXXII. annos natus fuit, quum a Iosaphato anno regiminis sui XXIII. in consortium regni assumeretur, 2 Chron. XXI. 20: annum egit XXXIV. mortuo anno regiminis sui XXV. Iosaphato. His annis aetatis Iorami, si adicias annos VIII. regiminis; quadragesimo secundo aetatis anno diem obiit supremum, filioque Achasiae regnum reliquit (\*). Añ nec ista annorum Iorami computatio comprobari potest, nec tota quae eidem innititur dubii solutio. Nam 2 Chron. XXI. 20. immediate coniunguntur VIII. anni regiminis Iorami cum annis XXXII. quos natus erat, quum regnare inciperet: ab eodem igitur termino numerandi sunt, quo primum regimini admotus est. Perinde vero est, siue id factum dicas anno XXIII. vel potius XXII. Iosaphati, siue anno eius XXV: tota enim quos vixit Ioramus annorum summa non ultra annum XL. ascendet. Nec obiici potest, annis VIII. regiminis Iorami addendum esse biennium, quo aegrotavit. Nam, ut huius biennii iam v. 19. mentio facta est, adeo ut annis VIII. qui ipsi v. 20. tribuuntur, manifeste includatur; ita a consuetudine historiae sacrae profus alienum est, annos Regis quibus aduersa valetudine usus est, ab vniuersa annorum regiminis sui summa subtrahere. Sic Vñas LII. annis regnasse dicitur 2. Chron. XXVI. 3. quamuis per plurimos annos lepra laborauerit, nec ipse regni habenas tenere potuerit. Accedit, Chronologiam Regum Iudae oppido turbari, si biennium morbi Regis Iorami ab annis VIII. regiminis eius separare velimus. Et si vel maxime Chronologia hanc admitteret explicationem; salua tamen accentuatione locum habere nequit, quum hac ratione neglecto Silluko accentu omnium maxime distinctiuo, vltima v. 1. verba ad versiculum sequentem trahantur arctissimeque cum eius verbis primis coniungantur. Nullum praeterea in medium adduci potest exemplum, in quo parentis iam defuncti indicaretur aetatis annus, quo filius regnum capeffuit. Ut taceam 2 Reg. VIII. 25. 26. eandem quam in nostro loco occurrere verborum constructionem: adeo ut eodem iure dici posset, Achasiam thronum conscendisse eo tempore, quo Iora-

Iora-





Ioramus anno aetatis suae XXII. decessisset. Si vero ibidem verborum ordo postulat, vt annos XXII. non ad Ioramum, sed ad Achasiae referamus; idem valebit de XLII. annis in nostro loco memoratis.

(\*) Sententia haec est IOH. FRANC. EYDDEI in *Histor. Eccles. V. T. Tom. II. p. 478.* quam etiam IOH. IOACH. SCHROEDERO attribuit IO. IAC. RAMBACHIVS in *Vberior. Annotat in Hagiographos ad h. l. p. 816.*

## §. X.

Minorem adhuc habet probabilitatis speciem sententia LVDOV. DE DIEV (\*), qui postquam de soluendo hoc nodo fere desperasset, tandem ne quid intentatum relinqueret, suam proponit dubii solutionem, cui ipse non multum pretii statuisse videtur. Annos nimirum XLII. quae h. l. Achasiae tribuuntur, ad eum quidem refert, ita tamen, vt sequentes VI. annos regiminis Athaliae et XIII. annos minorrennitatis Ioasi eidem XLII. annorum numero includat. Sequenti vero ratione computum instituit. Anno aetatis XXII. regnum adiit Achasia, regnavit autem annum vnicum. Mortuo Rege, mater Athalia thronum occupat, et post exercitam sex annis tyrannidem capite plectitur. Succedit Ioasus, qui licet iam anno aetatis VII. coronatus esset, tamen post XIII. demum annos, nimirum anno aetatis XX. vt maiorrennis plenario iure Regio vti coepit. Quum igitur dicti Achasiae, Athaliae et Iorami minorrennis anni collecti efficiant annos XLII: phrasi illa, *filius XLII. annorum erat Achasia dum regnaret*, nihil aliud indigitari arbitratur DE DIEV, quam regnum eius durasse vsque ad quadragesimum secundum aetatis suae annum. Perperam vero in hac hypothesi in vnam summam colliguntur anni Achasiae et successorum eius in regno. Separatim potius numerat historia sacra annos VI. Athaliae 2 Reg. XI. 3. et annos XL. regiminis Ioasi, qui a prima eius inauguratione incipiunt Cap. XII. 1. Nec probari potest, Ioasum non ante vigesimum aetatis annum ad gerenda regni negotia admisum fuisse. Potius ex aliis exemplis constat, Reges Iudae, etsi vicesimum aetatis annum nondum attigerint, reipublicae tamen curam gessisse. Vsa enim anno aetatis XVI. regnare coepit 2 Reg. XIV. 21. Manasse anno XII. 2 Reg. XXI. 1. & Iosia anno VIII. Cap. XXII. 1. Hinc Ioas quoque anno aetatis VII. regni habenas ipse suscepisse credendus est. Et si vel maxime vsque ad vicesimum aetatis annum



minorennis mansisset, nullo tamen iure tredecim anni eius priores vna cum sex annis Athaliae ad Achasiae regnum referri possent, qui certe non XLII. annos, sed vnicum modo annum regnavit: nisi dicere velis, eum iam a prima natiuitate, & longe post mortem rerum summae praefuisse. Tandem verba: *filius XLII. annorum erat Achasia* במלכו id indicare prorsus nequeunt, spatium regni eius se extendisse vsque ad XLII. aetatis suae annum. Nam vt taceam, annos aetatis Regis iam defuncti non amplius numerari posse; statim adiicitur: *et regnavit annum vnicum*, vnde merito concludimus, annos illos XLII. iam exactos fuisse, antequam anno vno regnare inciperet.

(\*) In Animadv. in V. T. ad h. l. p. 87.

§. XI.

Nemini igitur XLII. anni commode tribui possunt, nisi soli Achasiae: qua vero ratione apparens illa contradictio cum 2 Reg. VIII. 26. vbi XXII. modo anni eidem adscribuntur, conciliari debeat, iterum in diuersas abeunt sententias interpretes. Ingenium sapit HENR. GOTTL. REIMII hypothesis; solido tamen fundamento caret. Nimirum dimidiam XLII. annorum partem absoluisse autumat Achasia, quum regnum adiret, adeo vt reipsa tunc non nisi annum egerit vicesimum secundum. Dum igitur verba כן-ארבעים ושתים שנה ita reddit: *in medietate XLII. annorum erat*; vocabulum כן non *filium* denotare censet, sed *medietatem* vel *inter*. Quamvis vero facile concedamus, significatum medietatis vocabulo בין tribuendum esse 1 Sam. XVII. 4. Ezech. X. 2. Gen. XLIX. 10: difficulter tamen probabitur, dimidiam praecise partem hoc verbo significari: quum potius indeterminate saepius interuallum quoddam denotet. Gen. XIII. 3. XVI. 14. XX. 1. XXX. 36. &c. locorum maxime inter se distantium Dan. VII. 8. Gen. XV. 17. Exod. XIV. 20. imo etiam temporis Exod. XII. 6. Praeterea notabilem quoque designat personarum rerumue diuersitatem, Exod. VIII. 19. IX. 4. 1 Reg. III. 9. Nullum vero extat exemplum, vbi dimidiam partem determinati cuiusdam numeri indigitaret. Et haec quidem valent de vocabulo בין vbi littera י in medio extat; כן vero, quod absque י scribitur, nihil aliud significare potest, quam *filium*, hinc tota phrasis *filius tot annorum*, per notissimum linguae Hebraicae idiotismum, *tot annos natum*. Sit vero, כן etiam medietatis notationem





tionem habere; sensus tamen verborum esse nequit, Achasia in medietate XLII. annorum constitutum fuisse, nisi adiciatur particula ב sequentem in modum *בבן ארבעים ושתים שנה*. Desideratur autem in textu sacro praefixum ב nec vnquam siue in S. Scriptura, siue in communi vita numerus, qui nequidem rotundus est, dimidiari solet, ad denotandam certam annorum summam. Loca enim, quae REIMVS adfert, in quibus hac ratione difficultates chronologicae optime tolli possent (\*\*), tam coacta interpretatione non indigent, sed longe facilius explicari queunt.

(\*) In *Diff. Achasiae aetate non maior patre Ioramo p. 34. sq.* Add. GEORGE CHR. DACHSELI *Bibl. Hebr. Accentuata Part. I. p. 517. sq.*

(\*\*) 2. Sam. II. 10. 1. Reg. XIV. 21. 2. Reg. XXIV. 8. coll. 2. Chron. XXXVI. 9. 2. Chron. XXIX. 1. coll. Cap. XXVIII. 1.

### §. XII.

Duplex alii statuunt regni Achasiae initium, alterum anno aetatis vicesimo secundo 2 Reg. VIII. 26. alterum anno quadragesimo secundo aetatis factum 2 Chron. XXII. 2. Supponunt vero, octo annos quos secundum 2 Chron. XXI. 20. regnavit pater Achasiae Ioramus, non nisi de felici eius regimine interpretandos esse: quum praeter illos postea adhuc XX. annos vixerit. Rationem autem, cur in Scripturis nulla horum XX. annorum mentio fiat, ex v. 16-19. facile dari posse existimant: nimirum quia per totum hoc tempus Philistaeorum et Arabum incursionibus debilitatus morbisque oppressus grauissimis, satis infeliciter regnauerit, et quidem vna cum filio Achasia, quem sub initium dictorum XX. annorum in regni societatem cooptauerit. Qui igitur anno octavo Iorami, quo primum regimini admotus est, XXII. annos natus fuit Achasia, elapsis viginti annis mortuoque Ioramo, anno aetatis quadragesimo secundo plenario iure Regio vti coepit. Haec KIMCHI sententia plurimis arridet interpretibus (\*); admitti tamen nequit, quia hypothesis, quae Ioramo praeter octo istos regiminis annos, qui constanter ipsi, imo post memoratas calamitates adsignantur 2 Reg. VIII. 17. 2 Chron. XXI. 5. 20. adhuc XX. alios tribuit, precaria plane est, nec vilo probari potest idoneo argumento. Nam 1) historia sacra nunquam annos Regum quibus vel impie vel





infeliciter regnarunt, ab annorum regiminis summa subtrahere solet: quod, si dicendum quod res est, totam Chronologiam Biblicam incertam redderet, quae hac ratione nunquam in ordinem redigi posset. Ioas certe Rex Iudae pius initio et felix, qui post mortem Ioiadae summi Sacerdotis variis se polluit criminibus, similesque fere perpeffus est calamitates ac Ioramus 2 Chron. XXIV. 17. sqq. annos tamen XL. regnasse dicitur v. 1. qui vt ex v. 2. patet, tempus, quo Ioiadam superuixit manifeste includunt. 2) Maxime vero sententiae huic obstat 2 Chron. XXI. 14-19. Morbus enim Iorami, quo immediate post Arabum inuasionem percussus est, non XX. annos, sed vnicum modo durauit biennium. 3) Tandem insertis seriei Regum Iudae integris viginti annis, temporum rationes mirum in modum turbantur, maxime si historia regni Israelitici conferatur cum factis et fatis Regum Iudae *συγγερόνως*. Ioramus enim Iudaicus, vt ex 2 Reg. VIII. 16. patet, regnare coepit anno quinto Iorami Israelitici, *ויהושפט מלך יהודה* et quum Iosaphat adhuc esset Rex Iudae: (quae verba in versione Germanica Lutheri desiderantur,) manifesto indicio, Ioramum a patre suo Iosaphato in regni societatem assumptum fuisse. Eiusdem vero Iorami obitus, si octo tantum annos regnauit, vel potius vsque ad annum octauum, incidit in annum duodecimum Iorami Israelitici: et eodem hoc anno Achasia vna cum Ioramo Israelitico, qui duodecim annos regnauit 2 Reg. III. 1. a Iehu occiditur, 2 Reg. IX. 24. 27. Sic rite se habent omnia. Nam

annus Vtus Iorami Israelitici est Imus Iorami Iudaici : hinc  
 annus XIImus . . . . . erit VIIIus . . . . . et simul primus et ultimus Achasiae.

Si vero Ioramus Iudaicus praeter octo illos annos adhuc vixisset viginti annos; absurdum hoc inde sequeretur, Achasiam, qui antequam Iehu thronum Israeliticum conscendit, vna cum Ioramo Israelitico violenta morte periit, demum anno vicesimo vel vicesimo primo Iehu diem obiisse, et quidem regnante iam post Athaliae tyrannidem filio suo Ioaso, qui anno septimo Iehu rerum potitus est. 2. Reg. XII. 1. Vt taceam, annos XX. de regno Iorami in historia sacra subtractos necessario regno Achasiae addendos fuisse, saltim 2. Reg. VIII. 26, vbi anno aetatis vicesimo secundo regnum adiisse dicitur,



tur. Sed in utroque loco legitur, quod vnicum modo annum rerum summae praefuerit: unde merito, collatis reliquis circumstantiis, concludimus, illum neutiquam viginti annis vna cum Ioramio regnasse.

(\*) LYRANO, VATABLO, PETRO MARTYRI, MART. LUTHERO, *Tom. IV. Opp. Latin. Jen. Fol. 722. et 749.* IOH. BUXTORFIO in *Anticritica* p. 411. SEE. SCHMIDIO in *Observat. ad 2. Reg. VIII. 26.* IOH. HENR. MAIO in *Oecon. Temporum V. T. Cap. 47. p. 869.* aliis.

§. XIII.

Difficultates sententiae praecedentis quodammodo euitare fatigat Cel. GEORG. LVDOV. OEDERVS (\*); dum Ioramum iam anno quinto Josaphati in consortium regni cooptatum pronunciat; qui simul filium Achasiae annos tunc XXII. natum regni consortem declarasset. Eundem vero Achasiae elapsis viginti annis, mortuo Josaphato eique succedente Ioramio, iterum anno aetatis XLII. a Ioramio in regni societatem admissum esse autumat, ad firmiter stabiliendam regni successionem. Multa essent circa hanc hypothesin monenda, sed illa vnicuique tangam, quae proxime res Achasiae concernunt. Prorsus non video, quare ratione cum Chronologia regni Israelitici et Iudaici conciliari queat triplex quod hic statuitur regni Ioramii Iudaici initium. Si enim ut ipse monet OEDERVS, annus quintus Ioramii Israelitici, et quintus Josaphati, quo in regni societatem admissus est Ioramus Iudaicus (2. Reg. VIII. 16.) non in vnum idemque tempus cadit: prima vice in consortium regni assumptus esset Ioramus Iudaicus anno quinto Josaphati, altera vice anno quinto Ioramii Israelitici, qui est annus XXII. Josaphati, tandem mortuo anno regiminis sui XXV. Josaphato, et quidem anno Ioramii Israelitici octavo, solus regnare coepit. Secundum concedimus: primum vero et tertium verae Chronologiae, quam in sequentibus ulterius confirmandam, hic illustrationis gratia exhibere placet, prorsus aduersatur. Nimirum:

Simri Ellam occidit, et regnat VII diebus, - - - anno XXVII. Assae  
 Amri Simraeum interficit, et ab hoc tempore, nimirum anno XXVII. Assae  
 regnat XII. annis 1, Reg. XVI. 25.

Sed





Sed mortuo demum Thibni plene regnare incipit - - anno XXXI. Assae  
 Amri moritur, et Achab succedit - - - - - anno XXXVIII. Assae  
 Hinc annus - - Imus Achabi est - - - - - annus XXXVIII. Assae  
 Adeoque annus IVtus Achabi erit - - - - - annus XLI. Assae incipiens  
 Anno hoc - - IVto Achabi exeunte - - - - - mortuo Assa, huic succedit fi-  
 lius Iosaphat et regni habenas tenet  
 usque ad annum XXV.

Hinc annus - - Vtus Achabi erit - - - - - annus Imus Iosaphati  
 Et annus - - XXImus Achabi - - - - - annus XVItus Iosaphati  
 Anno - - XXIImo Achabi ad finem vergente, qui est - annus XVIIImus Iosaphati  
 Achafias in consortium regni et Ioramus Iosaphati  
 a patre assumitur filius regni negotia  
 tractare incipit

Nimirum ob Achabi pariter et Iosaphati expeditionem ad-  
 uersus Syros.

Hinc anno - - XXI. Achabi regnare incipit Achafias et quidem - anno XVII Iosaphati  
 1. Reg. XXII. 52.

Anno - - XXII. Achabi incipiente qui est annus IIus Achafiae et XVIII. Iosaphati  
 Achab moritur et post aliquot menses Achafias

Succedit ergo Ioramus Israeliticus - - - - - anno XVIII. Iosaphati  
 2. Reg. III. 1. et anno IIus Iorami Iu-  
 daici 2. Reg. I. 17.

Hinc annus - - IVtus Iorami Israelitici est - - - - - annus XXI. Iosaphati  
 et Vtus Iorami Iu-  
 daici

Anno - - Vto Iorami Israelitici, qui est - - - - - annus XXII. Iosaphati,  
 postquam Ioramus Iudaicus iam usque  
 ad VIrum annum reipublice praefuisset,  
 hic a patre aduersus Moabitas eunte in  
 plenarium regni consortium cooptatus  
 est. Et ab hoc termino octo eius regimi-  
 nis anni numerandi sunt 2. Reg. VIII.  
 16. 17.

Anno - - VIII. Iorami Israelitici qui est - - - - - annus XXV. Iosaphati,  
 hic moritur et filius Ioramus Iudaicus solus  
 regnare incipit, anno IVto. regiminis sui

Hinc annus - XII. Iorami Israelitici est - - - - - annus VIIIus Iorami  
 Iudaici, quo incipiente Achafias Iudaicus  
 reipublicae praeficitur

Et eodem anno XII. Iorami Israelitici desinente adeoque - - anno Imo Achafiae, uter-  
 que a Jehu interficitur.

Patet





Patet hinc quam parum fundata sit Iorami in regni consortium cooptatio, quam anno quinto Iosaphati factam esse existimat OEDERVS. Ex 2. Reg. VIII. 16. enim probari nequit, vbi initium regiminis Iorami Iudaici non in annum quintum Iosaphati ponitur, sed hoc saltim innuitur, Ioramum regnante adhuc Iosaphato regnum adiisse, ut (§. 12.) monui. Quum vero hoc potissimum fundamento nitatur hypothesi de Achasia anno quinto Iosaphati annos XXII, et anno XXV. Iosaphati annos XLII. nato, utroque vero tempore in regni consortium admisso: sua sponte corruet. Praeterea, qua ratione Ioramus vbi ipse nondum plena auctoritate Regia usus est, filium in regni consortium cooptare potuerit, prorsus non video. Deinde si secunda vice Achasiam tunc XLII. annos natum socium in regno constituit; inde sequeretur, Achasiam vna cum patre octo annis regnasse, adeoque quinquagenarium fuisse, dum solus regni habenas susciperet; quod iterum cum historia sacra conciliari nequit. Quod restat, admodum improbable videtur, Ioramum, si vel maxime ipsi licuisset viuente adhuc patre aliquem ex filiis suis throni participem reddere, hanc praerogatiuam dare maluisse filio natu minimo, quum tum temporis filios adhuc habuerit seniores. Sane tunc demum Achasia ius ad regnum obtinuit, postquam Arabes et Philistaei reliquos Iorami filios in captiuitatem abduxerant. 2. Chron. XXII. 1.

(\*) Sub nomine SINCERI PISTOPHELI in *der neuen und gründlichen Erläuterung schwerer Stellen Heil. Schrift. Tom. II. Part. XIX. p. 611. sq.* Conf. etiam CASP. SANCTIUS ad 2. Reg. VIII. 17. 25. 26.

#### §. XIV.

Nec multo felicius simultanei Achasiae cum Ioramo regiminis causam tuetur ADAM. THEOPH. KERZIGVS (\*). Achasiam reuera XLII. annos natum fuisse arbitratur, quum post Iorami obitum solus regnare coepit, vt noster locus aperte loquitur. Locum vero 2. Reg. VIII. 26. בן-עשרים ושתים שנה אחזיהו כמלכו sequentem in modum vertendum esse censet: *filius XXII. annorum Achasia* IN REGNO SVO, adeo vt sensus sit: Achasiam iam antea vna cum Ioramo patre et Iosaphato auo XXII. annis rexisse tribum Iudae. Supponit enim, A-  
cha-

C

cha-





chafiam anno aetatis vicesimo a Iofaphato in regni societatem assumptum fuisse. Fateor, phrasin במלכו non semper regni primordium indicare; sed eius quoque a certo termino durationem 2. Chron. XVI. 1. 1. Sam. XIII. 1. Sed sola haec ratio non sufficit ad probandum, quod reipsa iam Iofaphati tempore regimini admotus fuerit Achasia, quum longe plures sint rationes in contrarium. Et ne sic quidem omnes soluere potest difficultates KERZIGIVS; hinc aliam praeterea hypothesin assumere necessum habet, quo ostendat filium Achasiae aetate maiorem haud fuisse parente, quod alias ex 2. Chron. XXI. 5. 20. et 2. Reg. VIII. 17. sequeretur. Negat vero, Ioramum anno aetatis tricesimo secundo thronum conscendisse: verba enim, quae id significare videntur, iterum reddit: *filius XXXII. annorum Ioramus במלכו in regno suo*, i. e. reipublicae iam per XXXII. annos praefuit, vt regni socius ab avo Assa adscitus. Obstat denuo annorum Iofaphati Chronologia. Si enim Iofaphat anno aetatis XXXV. regni habenas suscepit, et XXV. annis tenuit 1. Reg. XXII. 42. adeoque anno aetatis sexagesimo diem obiit supremum; concipi nequit, quare tunc filium LVI. annos natum relinquere potuerit. Sed idem in promptu est effugium, dum annos illos XXXV. non vitae Iofaphati adsignandos esse putat KERZIGIVS; sed regimini, quod iam ante XXXV. annos simul cum patre gesserit, priusquam solus regnare inciperet. Verum enimvero triplicem hunc Iofaphati, Iorami et Achasiae vicariatum non nisi in gratiam hypotheseos assumi, nemo non videt. In sacra enim Scriptura nullum habet fundamentum. Admodum potius improbable videtur, Iofaphatum vna cum filio etiam nepotem in regiminis societatem cooptasse, quum vnicus regni socius suffecerit. Et si vel maxime pluribus opus fuisset ministris, fratribus potius Iorami regni negotia commisisset, quam filio eius natu minimo. Vt taceam, Achasiae ne quidem proprium fuisse Iorami filium et Iofaphati nepotem, id quod in sequentibus vberius euincendum erit.

(\*) *In den neuen Exegetischen Versuchen Lips. 749. tentam. VI. p. 156. sq.*





*AVGVSTISSIMO  
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
FRIDERICO II.  
REGI BORVSSORVM,  
MARCHIONI BRANDENBVRGICO, S. R. I.  
ARCHI-CAMERARIO ET PRINCIPI  
ELECTORI,  
SVPREMO SILESIAE DVCI,  
&c. &c. &c.*

*PATRIAE PATRI,  
REGI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,*

*Dissertationem hanc inauguralem cum ardentissimo  
Regiae prosperitatis voto, humillime offert  
Seruus subiectissimus*

*THEOD. CHRISTOPH. LILIENTHAL.*

